

LES ECHOS DE SAINT-MAURICE

Edition numérique

Documents (Mgr Louis-Séverin Haller)

Dans *Echos de Saint-Maurice*, 1944, tome 42, p. 68-73

© Abbaye de Saint-Maurice 2012

DOCUMENTS

C'est du 26 juin 1943 déjà que sont datées les deux bulles de S. Exc. Mgr Haller, la première étant adressée à l'Elu pour confirmer son élection comme Abbé de St-Maurice et Evêque de Bethléem, la seconde destinée au Chapitre, au Clergé et au Peuple du territoire abbatial pour leur demander de recevoir leur nouveau Pasteur avec une piété filiale. De plus, la fête de S. Laurent n'étant pas comptée au nombre des jours prévus pour une consécration épiscopale, un rescrit était nécessaire. Les circonstances entravant les communications, les bulles n'arrivèrent pas avant la date arrêtée pour le sacre ; S. Exc. Mgr le Nonce apostolique put procéder cependant à cette cérémonie, en vertu d'une faculté accordée par S. S. Pie XII, comme en témoigne une déclaration de Mgr Bernardini: Les bulles étant enfin parvenues à St-Maurice le 13 août, Mgr Haller les présenta le jour même à son Chapitre et prit ainsi possession canonique de son Siègle.

Nous réunissons ici cette suite de documents.

I

BULLE À L'ÉLU

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

dilecto Filio *Ludovico Haller*, Canonico Regulari Congregationis Helveticae a S. Mauritio Agaunensi, in Abbatem eiusdem nominis Abbatiae *nullius* et in Episcopum titularem Bethleemitanum electo, salutem et apostolicam benedictionem. Commissum humilitati Nostrae ab aeterno Pastorum Principe supremi apostolatus officium, quo

universo christiano orbi praesidemus, onus Nobis imponit diligentissime curandi ut Ecclesiis omnibus tales praeficiantur Antistites, qui sibi creditum dominicum gregem salubriter pascere, regere et gubernare sciant ac valeant, Cum itaque Abbatia *nullius* S. Mauritii Agaunensis, Congregationis Helveticae Canonicorum Regularium eiusdem nominis Nobis et Sedi Apostolicae immediate subiecta, cuius Abbas pro tempore existens titulo episcopalis Ecclesiae Bethleemitanae perpetuo decoratur et ad quam, dum illa pro tempore vacat, electio personae idoneae eidem Abbatiae per Romanum Pontificem praeficiendae, ad ipsius Abbatiae Capitulum et Canonicos spectare et pertinere dignoscitur, per b. m. Bernardi Burquier Abbatis et Episcopi obitum suo fuerit destituta Pastore, dilecti Filii Capitulum et Canonici praefati ad novum Abbatem Ordinarium eligendum, statuta die, uti mos est, canonicè congregati, Te, memoratae Congregationis sodalem, rite elegerunt. Nos autem, omnes et singulos defectus, si qui forte in ipsa electione quomodolibet irrepserint, sanantes, electionem ipsam apostolica Nostra auctoritate approbamus et confirmamus atque, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, Te Abbatiae *nullius* S. Mauritii Agaunensis Abbatem Ordinarium constituimus eique praeficimus, necnon eiusdem Abbatiae curam, regimen et administrationem tum in spiritualibus tum in temporalibus Tibi plenarie committimus una cum omnibus iuribus et privilegiis, oneribus et obligationibus pastoralibus huic officio inhaerentibus, ita ut in tuae Abbatiae territorio et in personas ibi degentes eadem tum ordinis tum iurisdictionis exerceas potestatem, quam Episcopi in propriis dioecesisibus et eorundem legibus et officiis adstringaris. Te insuper ad titularem Ecclesiam episcopalem Bethleemitanam, titulari Ecclesiae metropolitanae Caesariensi in Palaestina suffraganeam per praefati b. m. Bernardi Burquier obitum, in praesenti et ipsam vacantem eadem auctoritate Nostra eligimus eiusque Tibi titulum conferimus cum omnibus pariter iuribus et privilegiis, oneribus et obligationibus sublimi huic dignitati inhaerentibus. Volumus vero ut, ceteris quoque impletis de iure servandis, antequam episcopalem consecrationem recipias et Abbatiae Tibi creditae canonicam capias possessionem, in manibus alicuius quem malueris catholici Antistitis,

gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentis, fidei catholicae professionem ac praescripta iuramenta iuxta statutas formulas emittere, harumque exemplaria, Tui dictique Antistitis subscriptione ac sigillo munita, ad S. Congregationem Consistorialem quantocius transmittere omnino tenearis. Tuae insuper maiori commoditati prospicientes, Tibi indulgemus ut extra Urbem libere et licite Episcopus consecrari queas a quolibet catholico Antistite assistentibus ei duobus aliis catholicis Episcopis, dummodo gratiam ipsi habeant et communionem cum Apostolica Sede. Venerabili itaque Fratri Antistiti, quem ad hoc Tu elegeris, episcopalem consecrationem Tibi impertiendi munus ac mandatum per easdem praesentes Litteras committimus. Stricte vero praecipimus ut, nisi prius quae supra diximus fidei professionem et iuramenta emiseris, nec Tu consecrationem recipere audeas, nec eam Tibi impertiatur Antistes a Te electus, sub poenis, si huic Nostro praecepto contraveneritis, iure statutis. Firmam autem spem fiduciamque concipimus fore ut, dextera Domini Tibi assistente propitia, Abbatia *nullius* S. Mauritii Agauensis per tuam pastorem sollicitudinem et indefessum studium regatur utiliter et maiora in dies in spiritualibus ac temporalibus suscipiat incrementa. Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo tertio, die sexta et vigesima Junii mensis, Pontificatus Nostri anno quinto.

ALOYS. Card. MAGLIONE

a secretis Status

Ludovicus Kaas, *Protonotarius Apostolicus*

Arthurus Mazzoni, *Protonotarius Apostolicus*

Loco Plumbi

II

BULLE AU CHAPITRE AU CLERGE ET AU PEUPLE

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

dilectis Filiis Capitulo et Canonicis, Clero et Populo Abbatiae *nullius* S. Mauritii Agaunensis salutem et apostolicam benedictionem. Hodie Nos, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, electionem dilecti Filii *Ludovici Haller*, Canonici Regularis Congregationis Helveticae a S. Mauritio Agaunensi, in vestrae Abbatiae Abbatem Ordinarium, a Capitulo et Canonicis eiusdem Abbatiae rite peractam, suprema Nostra auctoritate adprobantes et confirmantes, omnesque defectus, si qui in ipsa electione quomodolibet irrepserint, sanantes, eundem Ludovicum eidem Abbatiae praefecimus ipsumque illi Abbatem Ordinarium constituimus et Pastorem. Eundem insuper Ludovicum ad vacantem Ecclesiam episcopalem Bethleemitanam, cuius titulus Abbati S. Mauritii Agaunensis pro tempore existenti perpetuo est adsignatus, elegimus eiusque illi titulum contulimus cum omnibus iuribus et privilegiis, oneribus et obligationibus sublimi huic dignitati inhaerentibus. De quibus vos omnes hisce Nostris Litteris certiores facimus, vobisque in Domino mandamus ut eundem Ludovicum, electum vestrum Abbatem Ordinarium, tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote recipientes ac debito prosequentes honore, salubribus illius monitis et mandatis obedientiam praestetis eique reverentiam exhibeatis, ita ut ille vos devotionis filios et vos eum patrem benevolam invenisse gaudeatis. Volumus autem et mandamus ut, cura et officio Ordinarii, qui modo Abbatiam vestram regit, hae Litterae Nostrae publice perlegantur tum in capitulari conventu, qui primus post eas acceptas habebitur, tum in Ecclesia Abbatiali, primo die festo de praecepto recolendo. Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo

nongentesimo quadragesimo tertio, die sexta et vigesima Junii mensis, Pontificatus Nostri anno quinto.

ALOYS. Card. MAGLIONE

a secretis Status

Ludovicus Kaas, *Protonotarius Apostolicus*

Arthurus Mazzoni, *Protonotarius Apostolicus*

Loco Plumbi

III

RESCRIT .

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

BEATISSIME PATER,

Ludovicus Haller, electus Episcopus Bethleemitanus, ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus, petit ut recipere valeat episcopalem consecrationem die 10 Augusti in festo S. Laurentii Martyris.

Ex Audientia SS.mi diei 31 Julii 1943.

SS.mus Dominus Noster Pius Div. Prov. PP. XII, audita relatione infrascripti Secretarii S. C. Consistorialis, Exc.mo P. D. Oratori gratiam iuxta preces benigne concedere dignatus est. Contrariis quibusvis non obstantibus.

fr. R. C. Card. ROSSI, *a Secretis*

B. Renzoni, *Adessor*

L. S.

IV

DECLARATION

N. 18968

NONCIATURE APOSTOLIQUE EN SUISSE

Nos, Philippus Bernardini, Nuntius Apostolicus in Helvetia, testamur : vi facultatis a SS.mo Domino Nostro Pio PP. XII concessae consecrationem episcopalem Ill.mi ac

Rev.mi D.ni Ludoviei Haller, Abbatis Nullius S. Mauritii, electi episcopi Bethleemitani, fieri posse etiam sine Bullis Apostolicis, die 10 augusti, in festo S. Laurentii Martyris.

Datum Bernae, ex Aedibus Nuntiaturae Apostolicae, die 9 Augusti 1943.

† PHILIPPUS BERNARDINI
Nuntius Apostolicus

L. S.

V

PRISE DE POSSESSION

ACTUS CAPTAE POSSESSIONIS
ABBATIAE NULLIUS S. MAURITII AGAUNENSIS
AB EXCMO ET REVMO DD. LUDOVICO HALLER
ABBATE NULLIUS AGAUNENSI
ET EPISCOPO BETHLEEMITANO

Cum Venerabile Capitulum Generale Abbatiae S. Mauritii Agaunensis nullius dioecesis diei quintae mensis Augusti anni millesimi nongentesimi quadragesimi tertii Capitulum Claustrale ad hoc rite habile fecisset, Canonicis hujus Capituli Claustralis, die decima tertia ejusdem mensis in loco sueto adunatis, Excmus et Revmus DD. Ludovicus Haller, Abbas nullius Agaunensis et Episcopus Bethleemitanus, per Revmum D. Franciscum Michelet, Vicarium Capitularem, Apostolicas sub Plumbo Litteras, die vigesima sexta mensis Junii ejusdem anni datas, ostendit, sicque canonicam Abbatiae nullius possessionem cepit ad normam can. 334, § 3, et 215, § 2, atque art. 217 Constitutionum Abbatiae, praesente infrascripto Canonico, qui rem in acta retulit.

In quorum fidem testimonium hoc propria manu subscripsi ac sigillo ecclesiae abbatialis et cathedralis munivi.

Datum Agauni, die decima tertia mensis Augusti anno millesimo nongentesimo quadragesimo tertio.

Leo Dupont Lachenal
*a Secretis Ven. Capituli
ad interim*

L. S.